



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Alphonsi Madriliensis De Vera Deo Apte Inserviendi methodo Libellvs Avreus**

**Alfonso <de Madrid>**

**Coloniae, 1608**

Generalium quarundam considerationum, & compendij perfectionis  
Eua[n]gelicæ. Documentum primum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48891](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48891)

PRIMA PARS.

PRIMO DOCUMENTO POST  
generales quasdam considerationes,  
ponitur quoddam Euangelicæ per-  
fectionis compen-  
dium.



PRIMUM nobis visum  
est quasdam tradere præ-  
monitiones ei, qui hac  
ratione seu Methodo v-  
ti voluerit, potissimum  
cùm ipse sibi magister futurus sit ac  
discipulus. In primis igitur animad-  
uertendum est, quod, vt ex scripturis  
sacris ac patribus colligimus, omnes  
in hunc mundum producti sumus,  
non vt in bonis caducis huius vitæ  
quiescamus, aut gaudium sumamus,  
cum minima sint ac vilia: sed vt ab e-  
is, quantum nostræ necessitati satis  
est, iuxta Dei ordinationem assumē-  
tes, totam vitam occupemus in sub-  
limibus opibus magni illius Dei: qui  
nos in hoc creauit, quò beatos nos  
efficeret, ac sui ipsius possessores, qui  
est bonum infinitum, in quo omnia

*Cur in hęc  
mundū e-  
diti simus.*

A bona



*Lege æ-  
quitalis.  
Deo sub-  
limiori  
modo ser-  
uire tene-  
mur.*

*Gen. 5.  
Quando  
quis ad i-  
maginem  
Dei esse  
inuenia-  
tur.*

*Mat. 5.  
Sancti cur  
esse debe-  
ant.*

bona longè eminentius & abundan-  
tius possidebimus, quàm vel cogita-  
re sufficimus. Rursum nobis aduer-  
rendum est, quod, licet Deus sub cõ-  
minatione mortis æternæ nos non  
obligauerit, vt suo obsequio effemus  
perpetuò intenti, sed tũ duntaxat cũ  
obseruandum occurrit aliquod eius  
præceptum: lege tamẽ æquitalis qua  
nos ipsos obseruare debemus tanquã  
filios tanti patris. nõ cœnobitæ tan-  
tum, sed & omnes Christiani obli-  
gamur sublimiorem procurare fan-  
ctitatem, semperque seruire tam ex-  
cello domino ac patri. Si quidem de  
vniuersis dixit diuina maiestas: *Fac-  
iamus hominem ad imaginem & simi-  
litudinẽ nostrã.* Et iuxta sanctorũ do-  
ctorum interpretationẽ, tunc homo  
totus ad imaginem ac similitudinem  
Dei inuenitur, cũ in hoc se occupat,  
vt Dei magnalia cognoscat & amet,  
eximiũ ex illis assumẽs gaudiũ. Et in  
euangelio ait: *Estote perfecti, sicut &  
pater vester cœlestis.* Sanè exquisitũ  
est, vt sanctus sit, qui filius eius est,  
quẽ Seraphim incessanter sanctũ de-  
cantat



I. DOCUMENTVM. 3

cantat, ut nunquam obliti cuius si-  
 mus filij, non satis nobis sit: donec  
 iuxta nostram fragilitatem sancti si-  
 mus, nempe ut cor nostrum à cuius-  
 vis rei terrenæ amore abstrahamus,  
 illud reflectentes in patrem nostrum  
 qui infinitæ bonitatis est, magnoque  
 affectu illuminat ac sanctificat eum qui  
 ad suam maiestatem accedit, tanquam  
 ad patrem tam excelsum, ac infinita-  
 rum dignitatum & excellentiarum.  
 Inuant quoque, ut in his magis mo-  
 ueamur, quæ sub finem Prologi dixi-  
 mus. Cognita itaque obligatione quæ  
 vniuersi habent ad hoc ut sancti sint,  
 potissimum tamen hi qui approbatum  
 aliquem ordinem sunt professi, tanquam  
 speciali<sup>o</sup> ad hoc vocati, simul aduer-  
 temus quod quemadmodum in hoc  
 sæculo maxima approximatio siue  
 amicitia quam potest quis assequi  
 qui apud aliquem regem est, ut sit cum illo  
 vnius voluntatis ac desiderij: ita ve-  
 ritas in hoc vno consistit, ut quis  
 vnius cum Deo spiritus sit ac volun-  
 tatis. Verum ut ad sublimitatem il-  
 lam peruenias, necessum est, ut cun-

*nous  
vera san-  
titas con-  
sistat.*

A 2 Sta-



#### 4 PRIMAE PARTIS

Statum virtutū iter pertranseas, quæ in euangelio reliquæ scriptura sacra describuntur, quasque nos filius Dei altissimi tanto labore docuit. His omnibus consideratis, quoniam ex magno appetitu quo homines ad quæuis scienda feruntur, etiam breui quodam summario scire cupiunt quicquid in opere quopiam continetur, quæue in eo tractanda sunt: iccirco quicquid in hac methodo vel arte, quam hic tradimus, comprehenditur, breui ac summaria hac consideratione proponemus, quæ animo in se collecto sæpius relegenda est.

*Summa*

*toti per-  
fectionis.*

Quum homines nudi ac egeni creati simus, qui tamen fieri possemus diuini & opulentissimi, ad id semper certum Dei auxilium procurare debemus, nempe vt talis in anima nostra fiat mutatio, quò sentiamus voluntatem nostram in hoc insistere, non vt nostra quærat quatenus nostra, sed vt Deum quærat, & quicquid boni habet sua maiestas; nos ipsos autem tanquam aliquid quod Dei est, & quo, ex infinita sua bonitate ac dignati-



gnatione, sibi seruii cupit, adeò vt  
 semper eximia illius bona gloriam-  
 que infinitã habeamus, vt bona no-  
 stra, imò potiora quàm nostra: & il-  
 lum laudemus, in eo que gaudeamus,  
 amplius quàm in quouis bono quod  
 obtinemus aut speramus, vel quod  
 nobis potest contingere, pro perfe-  
 ctã beatitudine ducentes, vt illa ma-  
 iestas possideat infinita bona, quem-  
 admodum iam possidet, tãquam no-  
 stri ipsorum nullam curam geretes:  
 totis tamen viribus adnitentes, quò  
 cœlo recipiamur, vbi illum videam-  
 us, & perfectius gaudeamus: nõ ob  
 nostrum per se gaudium, sed quòd  
 maiestas illa, cum sit infinitæ gloriæ,  
 infinita sua bonitate velit nos mag-  
 nificari, sublimi illa hæreditate & o-  
 pibus, quas ipse possidet, & cum ip-  
 so omnes eos qui pro vltima sua re-  
 quie ac bono exoptant, vt maiestas  
 illa tantam habeat gloriam quãtam  
 habet, idque est cum Deo vnum esse  
 spiritum.

*Quid sit  
 esse vnum  
 cum Deo  
 Spiritum.*

Notandum præterea est ad con-  
 summationem nostræ summariæ cõ-



6 PRIMAE PARTIS

*Totius li-  
bri huius  
summa.*

fiderationis, quod cum iam veluti  
per transfennam viderimus in quo  
consistat mutari nos è nudis homini-  
bus in diuinos, operæpretium quoq;  
erit summam considerare quid in  
hoc opusculo tractatur ad adipiscē-  
dum tam sublime bonum: id autem  
bifariā secari potest: qua in re graui  
consideratione sistere debet cor no-  
strum, si cupiat ad dictam sublimita-  
tem ascendere. Horū prius est, vt o-  
stendatur quā perdita & abiecta erat  
anima nostra ad hoc, vt tā sublimem  
mutationē assequi posset: alterū, vt  
declaretur ac tradatur ratio vt bonis  
considerationibus moueamur ad re-  
parationē tātæ stragis factæ: utq; co-  
gnoscamus & vtamur magnis virib;  
seu instrumētis, quæ in anima habe-  
mus ad huiusmodi reparationē pro-  
curandam, & ad abiiciendum prauas  
consuetudines, animamq; ornan-  
dam omnibus virtutibus: quò ita or-  
nati, simus parati ad suscipiendā præ-  
dictam sãctitatem: quæ in hoc potis-  
simum cõsistit, vt diximus, quò vni-  
cum Deo spiritus vniuscûq; volun-  
tatis



tatis efficiamur : ad quod omnino  
 necessum est vt magna diligentia cō-  
 siderentur, ac fiant quęcunq; aut prę-  
 dicta sunt, aut in sequentibus dicen-  
 tur. O dolendam stragem animarum  
 nostrarum quę ex peccato factę sūt  
 insensatę ac irrationales. Nam cū ad  
 tā sublimia vocati sim⁹, audiamusq;  
 illa ac legamus, veluti in prędicta il-  
 la sūmaria consideratione relatū est,  
 quidam tamē ad illa nō amplius tra-  
 hūtur aut mouētur, quā irrationa-  
 lia pecora cōspectis preciosis margi-  
 ritis, aut cibus delicatissimis: qui ta-  
 mē si videant, legant vel audiant ab-  
 iecta quędam aut terrena, non secus  
 ad illa rapiuntur, quā iumentum ad  
 stramina, fœnum vel auenam, nēpe  
 assuetū suum cibum. Quapropter ob-  
 secro per viscera misericordię Dei  
 aduertamus, q̄ vt ad tantam sublimi-  
 tatē extollerentur homines, Deus ip-  
 se factus est homo, ob id ipse mori  
 dignat⁹ est, cū tamē alijs modis in-  
 numeris vitā nobis dare potuisset: ad  
 id voluit vt angeli sui fierent nostri  
 ministri, ad hūc finē dedit nobis cęli

*Quāta sit  
 animarū  
 nostrarū  
 strages.*



## 8 PRIMAE PARTIS

terræque ministerium, & omnium quæ  
in illis sunt. Qui igitur à tam subli-  
mi vita auertitur, omnem hanc ordi-  
nationem, quod in se est, deducit ad  
nihilum. Complures, eò quòd nò at-  
tigerint perfectam notitiam prædi-  
ctæ rationis, nec intellexerint, quam  
prædiximus, debitam sibi excellen-  
tiam, omiserunt animas suas iuxta  
Dei voluntatem sublimare aut ex-  
tollere, adeò vt multi Deo dediti ac  
religiosi, eò quòd non intelligerent  
quando in suis operibus ob solū Deū  
moueantur, frequēter aurichalcum  
pro auro, & stannum pro argento e-  
ligunt, aut quòd mediocre est pro e-  
minentiori: Vnde ex superbia quam ha-  
bent in sui complacentia, paruaque  
diligentia, quam hac in re adhibent,  
prouenire solet vt tota vita in his e-  
geni ac inopes persistant, contenti  
fragili quadam dulcedine, &, quò ad  
rerum mundanarum appetitū, mor-  
tificatione, quòd quantam in se ha-  
beat deceptionem, iudicet is qui no-  
uit Dei filium redemptorem nostrū  
vitam egisse in hoc mundo plenam

innu-

*Quæ sit  
causa cur  
multi pij  
ac religio-  
si Deo  
perfectè  
non serui-  
ant.*



Innumeris angustijs, mortuumq; esse morte innumeris plena doloribus, quò omnibus his rebus inuitaret, vt ipsum sequeremur eodẽ sublimi suæ diuinæ voluntatis itinere, abstracti ab infinitis proprijs cupiditatibus, quæ quolibet momento nobis representantur, & cum propriæ sint, abigi debent, quò vniuersa nostra opera proficiscantur à suprema volūtate diuina, veluti iam diximus, latiusq; postea dicturi sumus, atque ex consequenti vnum idemq; efficiamur cum ipso summo Deo: & de eius sublimitate ac gloria magis quàm de nostris proprijs gaudeamus.

Nec est quòd quisquam queratur librum hunc intricatiorem seu difficiliorem esse quàm alios similes, nẽpe qui ad fouendam deuotionem descripti sunt. Nam hic, qui nonnullis videtur obscurior, tantæ claritatis est, vt cæteros huiusmodi libros, qui communiter leguntur, reddat intellectu faciles. Si quidem libri morales, seu deuotionis causa conscripti, tria potissimum continent: primum

*Cur Dei  
filius tam  
multa in  
hoc mundo  
sustinerit.*

*Libri deuotionis  
causa cõ-*



*scripti  
quae tria  
potissimū  
contineat.*

- 1.
- 2.
- 3.

ea quae facere debemus, deinde varia dicta, rationes & exēpla, quib⁹ pro-uocemur ac inuitemur ad faciēdum quod bonum est: verbi causa, profe-rēdo in medium, varijsq; rationibus ostēdendo maiestatem ac bonitatem diuinam, virtutis eminentiam, ac respō-dēs ipsi prēmium, peccati malitiam, ac pēnam ipsi destinatam. Tertium verò (quod tamē pauci ex ijs libellis cōtinent) est dare formā ac modum quibus ad opus deducere valeamus bona quae illi docent ac praecipunt, quamq; ob causam tam amplis ver-bis ad ea nos inuitem t. Et, quēadmo-dum initio Prologi ex D. Ambro. di-ctum est, parum nouit qui tertium il-lud nō nouit. Itaq; licet tria haec sint admodum necessaria, tertium tamen quodam modo dici potest magis ne-cessarium: nam libri, quos vt pluri-mum legere solēt qui theologie ope-ram nō dederunt, parum admodum de eo tractant. Atq; ita dici potest oēs eos libros esse subobscuros, cum nō doceant quib⁹ modis operari valea-mus, etiā, si cetera omnia pertractēt.

Quid



I. DOCUMENTVM. II

Quid causa fuerit cur id scribere o-  
miserint, non nostrum est hic perseru-  
tari: Credimus tamen illos varijs iu-  
stis causis ad id fuisse permotos, quæ  
id tunc expetebat. Nunc autem Deum col-  
landemus, quæ in tam breui Metho-  
do de re adeo necessaria nobis pro-  
uiderit. Ut ergo ad nostrum propositum  
reuertamur, ostendamus librum hunc  
cæteris esse lucidiorẽ, ac veluti illo-  
rum interpretẽ, quod ex eo manifestum  
erit. Nam totus propemodum in hoc oc-  
cupatur potissimum, ut Methodum  
tradat ac modum, quo moueantur in-  
tellectus & voluntas, ut homo intel-  
ligat, ac valeat in opus deducere sub-  
limia illa, quibus pleni sunt prædicti  
libri. Recte igitur consequitur hunc  
esse illorum veluti interpretẽ seu de-  
claratorem, quod re ipsa iam experti  
sunt complures, qui eum sibi familiarem  
effecerunt, idemque experientur quot-  
quot illi se addixerint. Quod si adeo  
apertum non videatur, aduertamur rem a-  
deò spiritualẽ, cuiusque tam rarus sit v-  
sus, scribi non posse verbis cuius facili-  
tate patentibus, neque quemquam posse

*Libri huius  
facili-  
tate  
ostendit*



*Eundem ab insigni utilitate commendat.* adipisci sublimia nisi magnis laboribus. Tandemque lectorem certum reddimus, quòd is qui secutus fuerit documenta huius methodi, è sacro euangelio deprompta, trimestri spatio perfectius animam suam instituet, quò ad perfectum Dei amorè accedat, quàm longo admodum tēpore posset efficere is, qui hoc libello sese iuuare negligeret, quū Deus ac Dominus noster varia ad hoc nobis dederit instrumenta, multasque vires ac potentias vt ijs omnibus laboraremus, omnibusque illis iuuaemur ad obtinendum rem adeò sublimē, quàm est perfecta animæ dispositio, requisita ad Dei amorem.

*SECUNDVM DOCUMENTVM maximè necessarium agit de fine & scopo, quibus moneri debemus ad operandum ea quæ seruiunt reparationi ac remedio animæ nostræ, imò quæcunque efficere decreuerimus.*

**A**Nte omnia præ oculis habendus est finis qui nos mouere de-